HERODOTUS HALICARNASSENSIS QUO ORDINE LIBROS SUOS CONSCRIPSERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ACADEMIAE JULIO-MAXIMILIANAE
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

ENGELBERTUS AMMER.

VIRCEBURGI
TYPIS ACADEMICIS C. J. BECKERI
MDCCCLXXXI.

A. Kirchhoffius [1]), historias suas quo quamque tempore composuisset Herodotus, perscrutans nimirum id quod ex ipsa re videtur consequi, pro certo sumpsit, Herodotum iam inde a principio ad certam rationem et tamquam artem opus suum direxisse, ita ut etiam ea quae per digressum addita essent spectaret, vel quod idem est, libros suos eodem quem nunc habemus ordine serieque conscriberet. Quaestione ita instituta cum iam eis locis, quibus Herodotus rerum eodem tempore quo in libris suis versabatur conscribendis gestarum mentionem facit, assumptis, quo tempore singulas partes historiarum suarum composuisset ille quidem, accuratius definire studeret *A. Kirchoffius,* inde acute eleganterque conclusit, Herodotum libros I et II et priora 119 capita libri III ab anno 449 vel 445 usque ad annum 443 Athenis, quae reliqua sunt libri tertii et librum IV et priora 76 capita l. V Thuriis ab anno 443 usque ad a. 432, cetera omnia quae sequuntur ab hieme a. 431/430 usque ad a. 428 Athenis conscripsisse.

---

[1]) Ueb. d. Abfassungszeit d. Herod. Geschichtsw. Abh. d. k. Ac. d. Wiss. i. Berlin 1868, phil. hist. Cl.; 2. Aufl. 1878, mit e. Anhang üb. Hs. Aufenthalt i. Sparta; et nachträgliche Bemerkungen dazu, ibidem 1871.

At *A. Kirchhoffio* occurrerunt nonnulli iique docti et eruditi viri qui dicerent, eum Herodoti historias perscrutantem sumpsisse quod sumi nequiret; nequaquam enim verisimile esse, Herodotum libros suos eodem qui nunc exstaret ordine exaravisse [1]. *M. Buedingerus* [2] quidem censet (l. a. § 1), illud *A. Kirchhoffii* si secuti simus, non continuo Herodotum posteriore tempore operi suo quidquam addidisse, nobis negandum fore; atque initium libri VII si intentis oculis intuiti simus, intellecturos nos esse, inde novam quandam rerum narrationem exordiri; accedere quod non probabile esse videatur (l. a. § 2), Herodoti opus primum in eundem qui nobis traditus sit ordinem redactum in lucem editum esse; denique historias Aegyptiacas ipsas per se corpus efficere, quod quo tempore toti operi adiunctum sit, argumentis demonstrari non possit. Imo vero etiam *A. Bauerus* [3] et *C. Hachezius* [4] argumentis probare studuerunt, Herodotum priusquam opus quod nos haberemus perficere instituisset, singulas historias quae inter se separatae essent conscriptas habuisse, quae cum diversis temporibus tum longe alio ac qui nunc exstaret ordine conceptae, cum posteriore tempore redigerentur in unum opus, retractarentur neque tamen ita diligenter, ut non multis ex locis eas superiore tempore ipsas per se singula corpuscula effecisse facile cognoscere posses. Atque *A.*

---

[1]) cf. *N. Wecklein*, üb. d. Tradition d. Perserkriege, Abh. d. k. Ac. d. Wiss. i. München, phil. hist. Cl., 1876; Separatabdruck, p. 33 ann.

[2]) Zur egypt. Forschung Herodots. — Sitz.-Ber. d. k. k. Ac. d. Wiss. zu Wien, phil. hist. Cl., 72. Bd., p. 563 sqq., 1873.

[3]) Die Entstehung d. Herodot. Geschichtswerkes, Wien 1878.

[4]) De Herodoti itineribus et scriptis, diss. Gottingae 1878.

Bauerus quidem *A. Schoellium* [1]) secutus, qui primus Herodotum libros VII—IX primos conscriptos Athenis anno fere 445 recitasse dixit, eo tempore atque ordine quo *A. Kirchhoffius* Herodotum libros suos primum conscripsisse censet, eos multis additamentis factis retractatos esse statuit (cf. l. a. p. 144), unde eluceat argumenta ab *A. Kirchhoffio* allata non tam ad commentatos quam ad retractatos libros pertinere posse (cf. l. a. p. 173). Contra *C. Hachezius* Herodotum circiter annum 432, post quem annum libros VI 43—IX conscriptos esse *A. Kirchhoffio* concedit, historias suas retractare coepisse arbitratur (cf. l. a. p. 64 et 74). *Chr. Roeseus* [2]) autem, qui et ipse Herodotum primum historias suas ita exaravisse ut aliae alias non spectarent, putat, has illum extremo vitae suae tempore in unum corpus redegisse pro certo ponit (cf. l. a. p. 4 et 6). *O. Nitzschius* [3]) denique dixit Herodotum primo singulas historiarum suarum partes recitandi causa conscripsisse atque posteriore demum tempore multis rebus mutatis, nonnullis transpositis additis demptis ita coniunxisse inter se (cf. l. a. p. 3), ut in unius operis corpus coalescerent.

Equidem, remota quaestione, historias suas quo quamque tempore conscripserit Herodotus, quamquam quae *A. Kirchhoffius* de hac re pluribus verbis exposuit, ne ipse quidem penitus comprobaverim, in animum induxi latius fusiusque, quo ordine libros suos confecerit ille, disserere. Nequaquam enim, Herodoti

---

[1]) Herodots Vorlesungen, Philol. X p. 410 sqq.

[2]) Hat Herodot sein Werk selbst herausgegeben? Giessen 1879.

[3]) Abhandl. üb. Herodot: 1) Spuren älterer Redaction in Herodot, 2) üb. d. Schluss d. Herodot. Werkes, Bielefeld 1873.

historias ea quam qui contra *A. Kirchhoffium* disputaverunt volunt ratione exortas esse mihi persuadere potui, nedum eis assentiar qui Herodotum re vera singulas historias quae inter se separatae essent compositas habuisse dicunt. Quod enim *A. Bauerus* (cf. l. a. eius enumerat. p. 171 et 173) et *C. Hachezius* (cf. l. a. eius recap. p. 74) examinantes quo ordine libros suos et quo quemque tempore conscripserit Herodotus, in sententias maxime contrarias deducti sunt, facile inde intellegas, quam lubricum in locum deducaris, si cum iam inde a principio, Herodotum ab initio plures libellos ita confectos habuisse ut alius alium nullo loco spectaret, pro certo sumpseris, toto opere in singulas partes dissoluto quo quaeque tempore concepta sit, accuratius definire coneris. Nam hoc si feceris neque simul argumentatus eris, qua ratione id facere adducaris, cum jam omnia in animi tui sententia posita sint, totam commentationem tuam tam dubia disserendi ratio contineat necesse est, ut omnino non fieri possit, quin ullam ad persuadendum vim habeat. An vero est ratione ac non libidine disputare, si capita quaedam Herodotum retractantem demum libros suos, id quod nullis certis argumentis demonstrari potest, locis quibusdam addidisse fingas nullius alius rei causa quam quod luce clarius est, ea illo loco, cui nunc interposita leguntur eundemque superiore tempore perfectum esse ipse dixisti, posteriore demum tempore scripta esse posse (cf. *A. Bauer*. l. a. p. 141 sqq.), aut quod capita illa continuatione serieque rerum non omnino requiruntur (cf. *C. Hachez*. l. a. p. 13, 19, 39, 40, 47 etc.).

Atque prorsus non dubium videtur esse, quin Herodotus res itineribus suis perscrutando summo

studio et investigando compertas paucis adumbraverit et delineaverit — quis enim est qui uberrimam illam rerum maxime variarum copiam memoria teneat? — idemque iam rationem fortasse totius operis primis lineis designaverit sibi, priusquam operi ipsi suo conscribendo et perficiendo operam navaret; neque tamen illis brevibus rerum variarum descriptionibus quas dicere velim historiae omnibus numeris absolutae effectae sunt vel expressi qui dicuntur λόγοι, qui iustam haberent formam atque perfectum narrationis opus essent. Nego igitur Herodotum omnibus illis rebus aliud quidquam quam ut ita dicam materiam instruxisse quandam et copiam operis sui conscribendi et ornandi. Atque etiamsi re vera historias illas a principio separatim conceptas fuisse poneremus, tamen nobis iudicandum esse putaverim, eas iam ab initio ita scriptas fuisse, ut postea in unius operis corpus coalescere possent; quo enim alio pertinuisse eas vel quid sibi voluisse dicas? Neque enim ipsae per se omnibus partibus atque numeris ita expletae erant ut amplius quod desiderares nihil esset.

Nam cum dispositionem totius operis Herodoti universam et formam quam nunc habet contuemur, tantum abest, ut libri eius separatim conscriptis historiis rerum a Samiis, a Medis Persisque gestarum, expeditionis Xerxis, primi a Persis Graeciae illati belli, Lydorum, Jonum rebellionis, Graecorum, Scytharum, Aegyptiorum, Libyum, id quod *A. Bauerus* (cf. l. a. p. 141, 171, 173) demonstrare studet, aut historiis Jonum, primi a Persis in Europam illati belli, initiorum regni Darei, rerum a Cyro et Cambyse, a Lydis, Aegyptiis, Libyibus gestarum, expeditionis Datidis Artaphernisque atque Xerxis, ut *C. Hachezio*

(cf. l. a. p. 74) videtur, conectendis et copulandis inter se exorti nobis videantur, ut negandum nobis sit quidquam abesse, quominus corpus omnibus numeris absolutum habeamus, id quod evenire non poterat, si ex illis tam variis tamque diversis partibus aegre quasi corrasum esset.

Jam vero summa totius historiae et quasi argumenti caput, unde Herodotus proficiscitur eoque deinceps redit, facile in eo cernitur, quod in prooemio ipse dicit, se velle describere bella quae Graeci et barbari inter se gesserint; hic ergo est, ut nos dicimus, quasi truncus, unde cetera omnia tamquam rami enascuntur et frondescunt, quo totum opus simplex et unum efficitur. Rectissime igitur dicit *H. Weilius*[1]): Les trois derniers livres sont le couronnement de l'ouvrage, et l'on me persuadera difficilement qu'en les écrivant, l'auteur n'avait pas encore conçu le plan de l'ensemble. Quid enim? quis est qui existimet, Herodotum opus quod nunc habemus, quasi singulatim singularum partium ratione non habita conscripsisse? Equidem hoc prorsus negaverim, contra rectissimum mihi videtur esse, quod *H. Steinius* in praefatione editionis Herodoti in usum scholarum scriptae iudicat, ingentibus in rem literariam meritis insignem esse Herodotum, quod uberrimam maxime variarum rerum copiam vinculo quodam communi complectendo in unum corpus omnibus numeris et partibus absolutum perfectumque redegerit; quod autem ille eodem loco addit, Herodotum ad res gestas examinandas et comparandas inter se parum diligentiae adhibuisse, ita ut multas non ad historiae fidem describat, eis quae infra dicemus refutabitur.

---

[1]) Revue critique d'histoire et de littérature, 1878.

Qui velut *A. Bauerus* (cf. l. a. p. 141), Herodotum historias suas antea separatim conscriptas postea retractasse retractatasque inter se coniunxisse ponunt, affirment necesse est, eos locos quibus Herodotus legentes ad ea quae antecedunt delegat, quamquam omnibus in partibus totius operis dispersi ac dissipati inveniuntur, cum historiae singulae inter se conecterentur atque retractarentur, tum demum additos esse. Atque si re vera argumentis demonstrari posset, Herodotum historias suas antea singulatim compositas retractasse et coniunxisse inter se, haud scio an non possimus interpretari illos locos alia ratione. At equidem in contrariam sententiam discedens arbitrari velim ipsis ex illis locis patere, argumentationem *A. Baueri* aliorumque in pravis rationibus esse positam, contra Herodoti opus iam inde ab initio eandem quam nunc habet habuisse formam. Quod enim Herodotus legentes a I 75 ad I 107, *a II 38 ad III 28,* a II 101 ad II 149, *a II 161 ad IV 159,* a IV 145 ad IV 165, *a V 22 ad VIII 137, a VI 19 ad VI 77,* a VI 39 ad VI 103, ad sequentia igitur delegat, contra a I 18 ad I 17, a I 85 ad I 34 et 38, a I 130 ad I 73 et 75, a I 169 ad I 143, a II 14 ad II 11, a II 50 ad II 43, a II 145 ad II 43, 59, 63, 67, 83, 133, a III 106 ad III 98, *a IV 1 ad I 103 et 106,* a IV 79 ad IV 78, a IV 81 ad IV 52, a IV 129 ad IV 28, *a IV 181 ad II 42, a V 4 ad IV 93 et 94,* a V 35 ad V 35, *a V 36 ad I 50 et 92, a VI 19 ad I 92 et 157 et II 159 et V 36, a VI 123 ad V 63, a VII 108 ad V 1 et VI 44 et 45,* a VII 113 ad VII 107, a VII 115 ad VII 110, a VII 184 ad VII 97, a VII 217 ad VII 212, *a VII 93 ad I 171 et 176,* a VII 239 ad VII 220, a VIII 87 ad VIII 79—81, a VIII 93 ad VIII 87,

a VIII 95 ad VIII 81, a IX 101 ad IX 57, ad antecedentia igitur nos revocat, quod in III 61, III 106, IV 44, V 89, VII 154 aliisque locis iam supra accuratius dicta reminiscendi causa sub aspectum subicit, quod denique in cc. 106 et 184 l. I res ab Assyriis gestas, in c. 213 l. VII qua de causa Ephialtes ab Athenade interfectus sit, postea se narraturum esse pollicetur, quamquam quae his locis pollicitus est non praestat in opere quod nunc exstat: dicendum nobis est, omnes illos locos, quibus legentes ad sequentia aut ad antecedentia delegantur, nunquam nisi tum scriptos esse cogitari posse, cum Herodotus opus suum totum componebat, non cum historias suas antea separatim conceptas inter se conectens denuo pertractabat. Nam si re vera retractasset libros suos, dubium non est, quin molestas repetitiones rerum ac discrepantias quae nunc plures inveniuntur, sublaturus fuerit; praesertim cum illud si sumas, simul hoc ponere debeas, eum totam summam et ordinem sententiarum uniuscuiusque historiarum partis penitus cognitum habuisse.

Jam vero omnes loci, excepto eo qui est in c. 161 l. II, quibus aut ad antecedentia aut ad sequentia delegamur, nimis ampli atque tam vagi sunt, ut prorsus negaverim, Herodotum tam universe dicere potuisse vel dicturum fuisse, si singulas historiarum suarum partes iam omnibus numeris absolutas habuisset ita ut eas tantummodo inter se coniungere deberet. Illi vero loci, quibus ad ea quae sequuntur delegamur, mihi quidem eiusmodi videntur esse, ut plane non dubium esse putem quin scripti sint, priusquam loci, ad quos revocamur, literis consignati essent; quod apertissime patet ex loco qui est in c. 161 l. II: ἐπεὶ

δέ οἱ (sc. Ἀπρίῃ τῷ Ψάμμιος) ἔδεε κακῶς γενέσθαι, ἐγίνετο ἀπὸ προφάσιος τὴν ἐγὼ μεζόνως μὲν ἐν τοῖσι Λιβυκοῖσι λόγοισι ἀπηγήσομαι, μετρίως δ' ἐν τῷ παρεόντι. His enim verbis ad sequentia non nisi tum nos remittere potuisse Herodotum esse perspicuum censeam, cum in historiis Aegyptiacis conscribendis versans commodum (ἐν τῷ παρεόντι) res a Libyibus gestas postea describere in animo habebat, non cum hae vel illae iam perfectae erant. Rectissime ergo *A. Bauerum* (l. a. p. 61 ann. 1) iudicare arbitror, Herodotum sine dubio consulto in c. 145 l. IV vocem quae est πρόφασις iterasse, ut iam inde ab initio, unde res Libycas describere incipit, legentibus in memoriam redigeret ea quae antea pollicitus erat. Sed vel inde consequi puto Herodotum libros suos eodem quem nunc habent ordine composuisse. Ex verbis autem quae sunt ἐν τῷ παρεόντι elucet cogitare non licere, res a Libyibus vel Aegyptiis gestas antea separatim conscriptas historias, sed potius iam ab initio partem unius eiusdemque operis fuisse dicendum esse.

Porro quod Herodotus in c. 28 l. III dicit: ἔχει δὲ ὁ μόσχος οὗτος ὁ Ἆπις καλεόμενος σημήια τοιάδε· ἐὼν μέλας, ἐπὶ μὲν τῷ μετώπῳ λευκόν τι τρίγωνον, ἐπὶ δὲ τοῦ νώτου αἰετὸν εἰκασμένον, ἐν δὲ τῇ οὐρῇ τὰς τρίχας διπλᾶς, ὑπὸ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον, exsolvit quod in c. 38 l. II pollicitus est, unde, id quod multis aliis quoque locis assumptis probari possit, sequitur, et eum librum II libro III prius conscripsisse, et caput 38 l. II scribentem penitus scivisse, quae in tertio libro secutura essent. Qui enim alioquin factum esse dicas, ut in c. 38 l. II aliquid se descripturum esse polliceretur, quod nondum satis novisset aut quod quo loco insereret nesciret? Atque manifestum est, eum Apim,

postquam in Aegyptum iter fecit, tum demum tam perspicue describere potuisse; ubi enim terrarum σημήϊα illa Apis nisi ipsa in Aegypto cognoscere potuit? nisi forte putas eum illum locum ex Hecataei libro qui inscriptus erat περίοδος γῆς repetiise. *A. Bauerus* quidem nimirum censet (cf. l. a. p. 82) librum tertium esse retractatum, postquam Herodotus Aegyptum obierit; sed equidem putaverim, ne expeditionem quidem a Cambyse in Aegyptum susceptam, h. e. librum tertium omnem scribere potuisse Herodotum, antequam Aegyptum ipse lustravisset, quippe cum multa non satis aperta ad intellegendum futura fuerint nisi addita descriptione rerum quarundam Aegyptiacarum et locorum. Prorsus autem argute contorteque interpretatur locum illum *C. Hachezius*, qui et ipse librum tertium prius quam secundum scriptum esse affirmat, cum dicit (l. a. p. 40), Herdotum illud in c. 38 l. II pollicitum esse quamquam quod pollicitus sit, iam impletum habuerit.

Jam et ex ipsis verbis, quibus legentes ad sequentia delegantur, obscuris et suspensis quae sunt ἐν τοῖσι ὀπίσω λόγοισι (I 75), ἐν ἄλλῳ λόγῳ (II 38), ὕστερον (II 101), ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι (V 22 et VII 213), et ex eo quod tempore futuro utitur Herodotus [cf. II 38 (ἐρέω), II 101 (δηλώσω et ἐπιμνήσομαι), II 161 et IV 145 (ἀπηγήσομαι), V 22 (ἀποδέξω), I 75 et VII 213 (σημανεώ), VI 19 (ἐπεὰν ... γένωμαι)] elucet perspicue, eum quamquam non ignorabat narrationem suam alicubi ad rem significatam redituram esse, tamen accuratius definire non potuisse ubi hoc ad effectum adduceret quippe qui res ad quas remittimur, uberius nondum descripsisset. Nam si locos illos seu retractans opus suum iam perfectum seu singulas

partes historiarum suarum simpliciter inter se conectens addidisset Herodotus, accuratius atque planius non solum potuisse eum delegare legentes, sed etiam re vera delegaturum fuisse ad sequentia arbitror. Inde igitur concludendum esse puto, Herodotum nos non ad ea quae in conscripto iam opere sequebantur, sed quae in conscribendo demum opere secutura erant, eis locis reiecisse. Accedit quod aliter intellegi non posse censeo, qui factum sit, ut Herodotus locis qui sunt in cc. 106 et 184 l. I et c. 213 l. VII ad ea nos revocet, quae nullo loco operis quod nos habemus inveniantur, res ab Assyriis gestas dico et causam necis Ephialtae. Haec enim tam perspicua praetermissio rerum promissarum nulla alia mihi videtur ratione explicari posse atque si ponimus, Herodotum quamquam iam res multas ad librum de Assyriis scribendum habebat collectas, eas tamen nondum literis consignatas atque omnibus partibus perfectas habuisse. Quod ni ita esset, qua de causa opus suum retractans alicubi inserere eas oblivisceretur? Res Assyrias igitur et causam necis Ephialtae narrare non fortasse, ut *A. Bauero* videtur (l. a. p. 7), sed re vera propositum tantum sibi habuit Herodotus. *E. Bachofius* [1]) idem iudicat de rebus Assyriis illis; sed errasse mihi videtur primum hac in re quod dicit, Herodotum res Assyriorum ita describere in animo habuisse, ut ipsae per se libellum a ceteris historiis separatum efficerent, id quod *C. Hachezio* (l. a. p. 44) quoque videtur; tum quod et ipse censet vel potius pro certo sumit, retractasse illum quidem libros suos. Quod autem de rebus

---

[1]) Die Ἀσσύριοι λόγοι d. Herodotus, Jahrbb. f. Philol. 1877, p. 577—584.

ab Assyriis gestis modo exposuimus, idem nobis de omnibus locis, quibus ad sequentia delegamur, dicendum esse arbitror.

Si Herodotus historias suas ita ut singulae earum partes ipsae per se corpuscula omnibus numeris absoluta essent conscriptas habuisset, exspectares, eum opus suum retractantem illis accommodate quasi in membra dispertiturum fuisse vel eos utique locos, quibus ad antecedentia revocamur, ad accurate definitam partem historiarum quandam spectaturos esse. — Nam Herodotum opus suum non digessisse in eos novem libros quos nunc habemus, exploratum habere licet. — Sed eiusmodi designationis librorum ab Herodoto institutae nullae apparent reliquiae, quamquam *A. Bauerus* (l. a. p. 26) id statuit, imo ne vestigia quidem. Hic enim (l. a. p. 7 sqq.) argumentis probare studuit, Herodotum voce quae est λόγος opus suum in partes suas dispertiisse; sed argumentationi eius nimis argutae, qua demonstrare conatur, vocem „λόγος“ apud Herodotum „librum“ valere posse, equidem non assentiar. Sub voce „λόγος“ quae esset sententia subicienda apud Herodotum, rectissime explicavit *K. W. Nitzschius* [1]), qui (l. a. p. 227) dicit, apud Herodotum voci „λόγος“ nullam aliam subiectam esse notionem nisi continuam narrationem alicuius rei gestae alicunde acceptam, quae opposita sit singulis rebus, quas auctores quidam Herodoto exposuerint. Jam *Schweighaeuserus* ad c. 123 l. II editionis Herodoti suae recte annotavit: λόγος in huiusmodi locis nihil aliud nisi narrationem vel historiam, ut nos vulgo vocamus signi-

---

[1]) Herodots Quellen f. d. Gesch. d. Perserkriege, N. rhein. Mus. f. Phil., Bd. 27, p. 266 sqq.

ficat. Idem iudicat *L. Ćwiklińskius*[1]), qui (l. a. p. 276) dicit: vox quae est λόγος apud Herodotum ullam certam — vel ut equidem dicere malim, principem — significationem non habet; significat enim narrationem vel relationem alicuius rei gestae vel libellum, qui positus est in narrationibus, λόγοις, aliorum quorundam.

Ut igitur paucis colligam et summatim repetam, quod ex illis parum accurate definitis locis, quibus universe ad supra iam dicta revocamur, mihi patere videtur, prorsus negare ausim, quidquam esse cur Herodoti historias, priusquam retractarentur et coniungerentur, corpuscula inter se separata fuisse arbitremur. Si enim huiusmodi locos, ut τῶν — ἑτέρωθι τοῦ λόγου μνήμην ἐποιησάμην πολλάκις (VI 19), quibus verbis spectat Herodotus ad ea quae dicuntur in I 92 et 157, II 159, V 36, vel ὡς καὶ πρότερόν μοι εἴρηται (IV 1), quae verba referuntur ad I 103 et 106, aliosque iudicio expendimus, ei ipsi per se iam tum esse scripti videntur, cum partem cui nunc inserti sunt, primum conscribebat Herodotus, non tum demum, cum opus suum iam perfectum retractabat. Sic enim si res se haberet, dubium non est, ut hoc etiam atque etiam dicam, quin planius expressiusque dicturus fuerit.

Sed aliud quoque inde (VI 19) perspicue liquere puto: quod enim cum alii tum *A. Bauerus* (cf. l. a. p. 40, 41, 58, 135, 136) ex eo quod alicuius rei pluribus locis mentio fieret, concluserunt unumquemque horum locorum ratione aliorum non habita ipsum per se scriptum esse cogitari necesse esse, hoc ipsis illis Herodoti verbis refutari censeo, cum ex eis appareat

[1]) Zeitschr. f. österr. Gymnasien, 27. Jahrg., p. 273 sqq.

Herodotum omnino non fugisse, se nonnullas res pluribus locis commemorasse eiusdem operis.

Praeter locos de quibus modo disputavimus, quibus legentes expressis verbis ad supra iam dicta revocantur, alii plurimi inveniuntur in Herodoti libris, quibus etsi non diserte, tacite tamen ad antecedentia remittimur. Nam loci quos dico ita dumtaxat satis intellegi possunt, cum res quas Herodotus iam supra narravit penitus novimus. Cum inde mihi apertissime elucere videatur, Herodotum opus suum eodem quem nunc habemus ordine atque continuatione conscripsisse, non singulas historias, quae nullo vinculo cohaererent inter se, perfectas habuisse, ab animo non possum impetrare, quin illos enumerem locos.

1. Quod Herodotus in c. 162 l. I dicit: Ἅρπαγος κατέβη διάδοχος στρατηγίης, γένος καὶ αὐτὸς ἐὼν Μῆδος, τὸν ὁ Μήδων βασιλεὺς Ἀστυάγης ἀ ν ό μ ῳ τ ρ α π έ ζ ῃ ἔδαισε, verba quae sunt ἄνομος τράπεζα omnino non intellegeremus, nisi supra (c. 119) narratum esset, Astyagen Harpago viscera mactati filii eius apposuisse. Ergo vitiose concludit *A. Bauerus*, cum (l. a. p. 72) dicit, locorum allatorum utrumque ipsum per se alterius ratione non habita scriptum esse.

2. *A. Bauerus* (l. a. p. 79) demonstrare studet, Herodotum cc. 178—187 libri I, cum retractaret opus suum, tum demum inseruisse. At verba capitis 191 eiusdem libri quae sunt: τάξας τὴν στρατιὴν ἅπασαν ἐξ ἐμβολῆς τοῦ ποταμοῦ, τῇ ἐς τὴν πόλιν ἐσβάλλει, καὶ ὄπισθε αὖτις τῆς πόλιος τάξας ἑτέρους, τῇ ἐξίει ἐκ τῆς πόλιος ὁ ποταμός κτλ. neminem fugerit pertinere cum ad cc. 177—183 tum ad c. 180 l. I, quibus Babylon uberius describitur; neque minus manifestum est haec verba capitis

191 l. I: ἀπικόμενος δὲ ἐπὶ τὴν λίμνην, τά περ ἡ τῶν Βαβυλωνίων βασίλεια ἐποίησε κατά τε τὸν ποταμὸν καὶ κατὰ τὴν λίμνην, ἐποίεε καὶ ὁ Κῦρος ἕτερα τοιαῦτα, spectare haec quae sunt in c. 185 l. I: κατύπερθε δὲ πολλῷ Βαβυλῶνος ὤρυσσε (sc. Νίτωκρις) ἔλυτρον λίμνῃ κτλ., et in c. 186 l. I: ὡς δὲ τό τε ὀρυχθὲν λίμνη πλήρης ἐγεγόνεε ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ καὶ τὰ περὶ τὴν γέφυραν ἐκεκόσμητο, τὸν Εὐφρήτην ποταμὸν ἐς τὰ ἀρχαῖα ῥέεθρα ἐκ τῆς λίμνης ἐξήγαγε κτλ. Inde igitur consequens est ut capita illa, quae *A. Bauerus* ex priore rerum contextu tollere vult, omnino non demi possint, cum alioquin verba capitis 191 non satis recte percipere possemus.

3. Quod Herodotus in c. 100 l. II commentariorum a sacerdotibus de rebus a regibus Aegyptiacis gestis compositorum (ἐκ βίβλου) mentione facta atque muliere, quae et ipsa in Aegypto regnaverat, commemorata addit haec: τῇ δὲ γυναικὶ οὔνομα ἦν ἥτις ἐβασίλευσε, τό περ τῇ Βαβυλωνίῃ, Νίτωκρις, quis est qui non continuo pro certo habeat, iam supra eum narravisse res a Nitocri illa Babylonia gestas, praesertim cum, hoc nisi factum esset in cc. 185—187 l. I, nemo sciret, quis esset femina illa Babylonia?

4. Herodotus quod in c. 10 l. III dicit haec: ἀποθανὼν δὲ καὶ ταριχευθεὶς ἐτάφη (sc. Ἄμασις) ἐν τῇσι ταφῇσι τῇσι ἐν τῷ ἱρῷ, τὰς αὐτὸς οἰκοδομήσατο, spectat haud dubie ad c. 169 l. II, ubi monumentum sepulcri Amasis describitur. Inde concludamus necesse est, librum II prius quam l. III conscriptum esse; alioquin enim omnino nesciremus, quid illud Amasis sepulcrum (III 10) nobis intellegendum esset.

5. Haec quae Herodotus in c. 36 l. III Cambysen Croeso dicentem facit: σὺ καὶ ἐμοὶ τολμᾷς συμ-

βουλεύειν ... κελεύων αὐτὸν (sc. Κῦρον) Ἀράξεα ποταμὸν διαβάντα ἰέναι ἐπὶ Μασσαγέτας κτλ., manifestum est referri cum ad cc. 201—214 l. I, quibus expeditio a Cyro contra Massagetas facta pluribus verbis explanatur, tum ad c. 207 l. I, ubi quibus verbis Croesus Cyri animum, ut belli contra Massagetas initium faceret ipse, impulerit, memoriae proditur. Neminem profecto esse puto qui illa verba III 36 attento animo cognoscens non arbitretur, Herodotum ipsum quodammodo fingere, legentes res bello contra Massagetas gestas accuratius iam supra edoctos esse; quod gravissimum argumentum est, librum III libro I posteriore tempore scriptum esse.

6. In c. 70 l. I et in c. 47 l. III Herodotus memoriae prodit, a Lacedaemoniis Croeso crateram missam, a Samiis autem raptam esse; atque cum illo loco verbis additis; τάχα δὲ ἂν καὶ οἱ ἀποδόμενοι λέγοιεν ἀπικόμενοι ἐς Σπάρτην ὡς ἀπαιρεθείησαν ὑπὸ Σαμίων, dubitet utique, num Samii re vera rapuerint crateram et se inclinet ad Samios, qui se eam vendidisse affirmabant: in c. 47 l. III ubi legimus: ἐστρατεύοντο (sc. οἱ Λακεδαιμόνιοι) ὡς τίσασθαι βουλόμενοι τοῦ κρητῆρος τῆς ἁρπαγῆς, τὸν ἦγον Κροίσῳ κτλ., Lacedaemoniorum sententiam Samiis contrariam sequitur. Inde patet, eum sententiam ab ipsis Lacedaemoniis prolatam posteriore demum tempore comperisse vel, quod idem est, librum primum tertio prius concepisse. Sed idem alia quoque ratione idque maiore vi probandi demonstrari potest. Nisi enim iam I 70 de cratera illa fusius latiusque dictum esset, non satis perciperemus, quid verba illa cap. 47 l. III, quibus raptus craterae illius leviter perstringitur, sibi vellent. Herodotum autem hoc loco (III 47) crateram illam iudicio et

voluntate breviter transire ea ipsa de causa, quod iam supra accuratius de ea disseruit, facile cernitur ex eo quod continuo de thorace ab Amasi Lacedaemoniis dono dato addit. Cum enim hic legentes neque ad antecedentia neque ad consequentia revocare possit, de eo aliquid accuratius ipso loco annotat. (Cf. quae infra annotovi ad 13).

7. Verba cap. 47 l. III: τοιοῦτος ἕτερός ἐστι καὶ τὸν ἐν Λίνδῳ ἀνέθηκε τῇ Ἀθηναίῃ Ἄμασις, promptum est pertinere ad haec quae leguntur in c. 182 l. II: Ἀνέθηκε . . . Ἄμασις . . . . τῇ ἐν Λίνδῳ Ἀθηναίῃ . . . θώρηκα λίνεον ἀξιοθέητον.

8. Herodotum quod III 88 dicit: Δαρεῖός τε δὴ ὁ Ὑστάσπεος βασιλεὺς ἀπεδέδεκτο, καὶ οἱ ἦσαν ἐν τῇ Ἀσίῃ πάντες κατήκοοι πλὴν Ἀραβίων, Κύρου τε καταστρεψαμένου καὶ ὕστερον αὖτις Καμβύσεω, perspicuum est spectare ea, quae supra de expeditionibus et bellis a Cyro et Cambyse susceptis exposuit; unde consequitur, omnia supra dicta hoc loco prius scripta esse.

9. Verba quae sunt in III 88: ἀεκόντων γὰρ Ἀραβίων οὐκ ἂν ἐσβάλοιεν οἱ Πέρσαι ἐς Αἴγυπτον, non satis aperta essent ad intellegendum, nisi in cc. 5—9 eiusdem libri cum alia tum haec scripta essent: μούνῃ δὲ ταύτῃ (sc. per fines Arabum) εἰσὶ φανεραὶ ἐσβολαὶ ἐς Αἴγυπτον κτλ.

10. Ad recte percipiendum locum qui est in c. 91 l. III: ἀπ' Αἰγύπτου δὲ . . . ἑπτακόσια προσήιε (sc. in fiscum regis Persarum) τάλαντα, πάρεξ τοῦ ἐκ τῆς Μοίριος λίμνης γινομένου ἀργυρίου, τὸ ἐγίνετο ἐκ τῶν ἰχθύων, opus est, iam supra de hac re expositum esse, id quod re vera fit in c. 149 l. II, ubi legimus: καὶ ἐπεὰν ἐκρέῃ (sc. τὸ ὕδωρ) ἔξω

(sc. ἐκ τῆς Μοίριος λίμνης ἐς τὸν Νεῖλον), ἡ δὲ τότε τοὺς ἓξ μῆνας ἐς τὸ βασιλήιον καταβάλλει ἐπ' ἡμέρην ἑκάστην τάλαντον ἀργυρίου ἐκ τῶν ἰχθύων, ἐπεὰν δὲ ἐσίῃ τὸ ὕδωρ ἐς αὐτήν, εἴκοσι μνέας.

11. Quod Herodotus in c. 152 l. III Dareum Babylonem expugnare non potuisse dicit additis verbis: ἀλλ' οὐδ' ὣς ἐδύνατο ἑλεῖν σφεας, ἄλλοισί τε σοφίσμασι πειρησάμενος, καὶ δὴ καὶ τῷ Κῦρος εἷλέ σφεας, καὶ τούτῳ ἐπειρήθη, haec verba quid valerent quis intellegeret, nisi in c. 191 l. I narrata essent haec: τὸν γὰρ ποταμὸν διώρυχι ἐσαγαγὼν ἐς τὴν λίμνην ἐοῦσαν ἕλος, τὸ ἀρχαῖον ῥέεθρον διαβατὸν εἶναι ἐποίησε (sc. Κῦρος), ὑπονοστήσαντος τοῦ ποταμοῦ. γενομένου δὲ τούτου τοιούτου, οἱ Πέρσαι οἵπερ ἐτετάχατο ἐπ' αὐτῷ τούτῳ . . . ἐσήισαν ἐς τὴν Βαβυλῶνα?

12. Verba quae sunt in c. 123 l. IV: τῷ ξυλίνῳ τείχεϊ, non recte comprehenderemus mente, nisi muri lignei illius iam supra in c. 108 eiusdem libri mentio facta esset, ubi dicit Herodotus: πόλις δὲ ἐν αὐτοῖσι (sc. in Budinis) πεπόλισται ξυλίνη κτλ. Attamen quamquam ita res sese habet, utrumque locum alterius ratione non habita scriptum esse statuit *A. Bauerus* (l. a. p. 20 sqq.).

13. Quod Herodotus in c. 172 l. IV mores Nasamonum describit his verbis additis: γυναῖκας νομίζοντες πολλὰς ἔχειν ἕκαστος ἐπίκοινον αὐτέων τὴν μῖξιν ποιεῦνται τρόπῳ παραπλησίῳ τῷ καὶ Μασσαγέται, huic additamento (sc. τῷ καὶ Μασσαγέται) quae sententia subicienda esset, parum intellegeremus, nisi iam inc. 216 l. I de Massagetis scripta essent cum alia tum haec: γυναῖκα μὲν γαμέει ἕκαστος, ταύτῃσι δὲ ἐπίκοινα χρέωνται.

Contra ubi Herodotus legentium animos advertere vult ad similitudinem morum quae inter hanc vel illam gentem intercedit, vel ad res quasdam cognitione dignas neque ad antecedentia aut ad sequentia eos delegare potest, ipso loco quae similia, quae memorabilia sint proponere solet. (Cf. supra nr. 6). Ut unum exemplum afferam, cum ipsi quae auctores Chaldaei ei narraverant (I 182), Belum deum aliquando nocturno tempore feminam indigenam ab ipso electam in templo suo praesentia dignari sua, a fide abhorrere videantur, tamen continuo addit, Aegyptios idem facere Thebis Jovem persuasum habere; namque dicit: φασὶ δὲ οἱ αὐτοὶ οὗτοι (sc. Χαλδαῖοι), ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες, τὸν θεὸν αὐτὸν φοιτᾶν τε ἐς τὸν νηὸν καὶ ἀμπαύεσθαι ἐπὶ τῆς κλίνης, κατάπερ ἐν Θήβῃσι τῇσι Αἰγυπτίῃσι κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὡς λέγουσι οἱ Αἰγύπτιοι· καὶ γὰρ δὴ ἐκεῖθι κοιμᾶται ἐν τῷ τοῦ Διὸς τοῦ Θηβαιέος γυνή, ἀμφότεραι δὲ αὗται λέγονται ἀνδρῶν οὐδαμῶν ἐς ὁμιλίαν φοιτᾶν, cuius rei res Aegyptiacas describens nullam facit mentionem. Quid ergo? hoc quoque retractantem demum libros suos addidisse Herodotum dicent *A. Bauerus* et *C. Hachezius*? Nam a quo nisi ab Aegyptiis ipsis illud comperisse eum dicas? At ut retractaret opus suum, cur illud additamentum non adiungeret historiis Aegyptiacis, quae quidem ipsae per se corpusculum omnibus numeris absolutum efficere dicuntur?

14. Quod in c. 44 l. IV scriptum est: τῆς δὲ Ἀσίης τὰ πολλὰ ὑπὸ Δαρείου ἐξευρέθη, ὃς βουλόμενος Ἰνδὸν ποταμόν, ὃς κροκοδείλους δεύτερος οὗτος ποταμῶν πάντων παρέχεται, τοῦτον ποταμὸν εἰδέναι τῇ ἐς θάλασσαν ἐκδιδοῖ κτλ., inde nobis necessario con-

cludendum est, iam supra unum flumen, in quo et ipso crocodili reperiantur, nominatum esse; quem locum invenimus in cc. 68—71 l. II, ubi Herodotus dicit de crocodilis, qui in Nilo flumine exstent.

15. Verba cap. 42 l. IV quae sunt: θωυμάζω ὤν διουρισάντων καὶ διελόντων Λιβύην τε καὶ Ἀσίην καὶ Εὐρώπην, in oculos occurrit referri ad haec quae insunt in c. 16 l. II: Ἕλληνάς τε καὶ αὐτοὺς Ἴωνας ἀποδείκνυμι οὐκ ἐπισταμένους λογίζεσθαι, οἵ φασι τρία μόρια εἶναι γῆν πᾶσαν, Εὐρώπην τε καὶ Ἀσίην καὶ Λιβύην.

16. Quae in cc. 49 et 50 l. IV de Istro et Nilo fluminibus dicuntur, manifestum est spectare ad ea, quae in cc. 33 et 34 l. II de eisdem fluminibus exponuntur; unde item consequitur, librum IV posteriore demum tempore quam l. II scriptum esse posse. Accedit quod etiam ea, quae in cc. 32, 42, 39, 198, aliis locis libri quarti referuntur, quodammodo spectant ea quae libro secundo continentur.

17. Quod *A. Bauerus* (l. a. p. 110 sqq.) demonstrare studens, Herodotum rebellionem Jonum peculiari quadam historia descripsisse, quae a ceteris historiis separata fuerit, ad id probandum cum alia tum ea quae insunt in cc. 11, 23, 37 libri quarti affert, nos quidem assensum retineamus. Neque enim quemquam fugerit nos verbis quae sunt V 11: Δαρεῖος δὲ . . . . ἐμνήσθη τῆς ἐξ Ἱστιαίου τε τοῦ Μιλησίου εὐεργησίης καὶ τῆς παραινέσιος τοῦ Μυτιληναίου Κώεω, remitti et ad IV 137 ubi quominus pons a Dareo in Istro flumine positus rescinderetur Histiaei sententia impeditum esse narratur — ita enim nisi res sese haberet, verba quae sunt τῆς . . . . εὐεργησίης non satis aperta ad intellegendum essent — et

ad IV 97, ubi Herodotus memoriae prodit, Coen Dareo suasisse, ne ipse pontem illum interrumperet; tantummodo ergo si statuimus libro IV absoluto librum V conscriptum esse, verba illa quae sunt τῆς παραινέσιος . . . Κώεω recte percipere possumus. Sed

18. ne hoc quidem mihi argumentatione *A. Baueri* (l. a. p. 110 et 111) persuasum est, Herodotum exordium historiae rebellionis Jonum vel libri V retractasse. Quamquam enim in cc. 23 et 37 l. V res iam supra narratae leviter iterantur, tamen capita illa sine eis quae antecedunt haud scio an non satis plane comprehendamus. Nam quod legimus in c. 23 l. V haec: ἅτε δὲ τειχέοντος ἤδη Ἱστιαίου τοῦ Μιλησίου τὴν παρὰ Δαρείου αἰτήσας ἔτυχε μισθὸν δωρεὴν φυλακῆς τῆς σχεδίης κτλ., Herodotus his verbis dicit iam effectum esse quod in c. 11 libri eiusdem significavit: ὁ μὲν δὴ Ἱστιαῖος . . . αἰτέει δὲ Μύρκινον τὴν Ἠδωνῶν βουλόμενος ἐν αὐτῇ πόλιν κτίσαι; verba autem quae sunt τῆς σχεδίης spectant ea quae cc. 136—141 l. IV narrantur; idem in c. 37 l. V quoque evenit; nam verba: καὶ Κώην Ἐρξάνδρου, τῷ Δαρεῖος Μυτιλήνην ἐδωρήσατο pertinent et ad IV 97 ubi est: Κώης ὁ Ἐρξανδρος στρατηγὸς ἐὼν Μυτιληναίων ἔλεξε κτλ., et ad V 11: ὁ δὲ Κώης οἷα τε οὐ τύραννος δημότης τε ἐών, αἰτέει Μυτιλήνης τυραννεῦσαι. Prorsus aliud ergo invenies inesse in cc. 23 et 37 l. V, aliud in eis quae antecedunt; imo si capita illa accuratius inspexeris, tibi dicendum erit cc. 23 et 37 sine antecentibus non satis explicari posse.

19. Cum in c. 39 l. V legimus haec: τῆς δὲ Σπάρτης Ἀναξανδρίδης μὲν ὁ Λέοντος οὐκέτι περιεὼν ἐβασίλευε ἀλλὰ ἐτετελευτήκεε, quasi nescio quo pacto pro certo ponimus, de regno huius Anaxandridis iam

supra uberius dictum esse; et nimirum res ita sese habet, cum in cc. 67 et 68 l. I narret Herodotus, Anaxandride regnante Lacedaemonios Tegeatis superiores factos esse.

20. Verba quae sunt in c. 52 l. V, ubi de fluminibus in Matiana fluentibus sermo est: ὁ δὲ τέταρτος τῶν ποταμῶν οὔνομα ἔχει Γύνδης, τὸν Κῦρος διέλαβέ ποτε ἐς διώρυχας ἑξήκοντα τριηκοσίας, spectant haud dubie ad haec quae leguntur in c. 189 l. I: μετὰ δὲ τὴν ἀπειλὴν (sc. τὸν Γύνδην ποταμὸν οὕτω δὴ ἀσθενέα ποιήσειν ὥστε τοῦ λοιποῦ καὶ γυναῖκάς μιν εὐπετέως τὸ γόνυ οὐ βρεχούσας διαβήσεσθαι) μετεὶς τὴν ἐπὶ Βαβυλῶνα στράτευσιν διαίρεε (sc. Κῦρος) τὴν στρατιὴν δίχα, διελὼν δὲ κατέτεινε, σχοινοτενέας ὑποδέξας διώρυχας ὀγδώκοντα καὶ ἑκατὸν παρ' ἑκάτερον τὸ χεῖλος τοῦ Γύνδεω τετραμμένας πάντα τρόπον, διατάξας δὲ τὸν στρατὸν ὀρύσσειν ἐκέλευε.

21. Herodotus postquam Jones a Cyro subactos esse narravit, quod addit in c. 169 l. I haec: οὕτω δὴ τὸ δεύτερον Ἰωνίη ἐδεδούλωτο, sine dubio spectat et cap. 6 l. I, ubi cum alia tum haec legimus: Κροῖσος βαρβάρων πρῶτος τῶν ἡμεῖς ἴδμεν τοὺς μὲν κατεστρέψατο Ἑλλήνων ἐς φόρου ἀπαγωγήν, τοὺς δὲ φίλους προσεποιήσατο· κατεστρέψατο μὲν Ἴωνάς τε καὶ Αἰολέας καὶ Δωριέας τοὺς ἐν τῇ Ἀσίῃ, φίλους δὲ προσεποιήσατο Λακεδαιμονίους. πρὸ δὲ τῆς Κροίσου ἀρχῆς πάντες Ἕλληνες ἦσαν ἐλεύθεροι, et c. 26 l. I, ubi scripta sunt haec: ἐξεδέξατο τὴν βασιληίην Κροῖσος . . . ὃς δὴ Ἑλλήνων πρώτοισι ἐπεθήκατο Ἐφεσίοισι . . . πρώτοισι μὲν δὴ τούτοισι ἐπεχείρησε ὁ Κροῖσος, μετὰ δὲ ἐν μέρεϊ ἑκάστοισι Ἰώνων τε καὶ Αἰολέων. Atque idem nobis statuendum est de eis quae invenimus in c. 32 l. VI; hoc enim loco Herodotus postquam Jones Da-

reo regnante rebellantes in potestatem Persarum redactos esse memoriae prodidit, addit haec: οὕτω δὴ τὸ τρίτον Ἴωνες κατεδουλώθησαν, πρῶτον μὲν ὑπὸ Λυδῶν, δὶς δὲ ἐπεξῆς τότε ὑπὸ Περσέων; quibus verbis ipse significat, se Jones iam superiore tempore bis in servitutem incidisse iam supra narravisse; id quod revera usu venit, cum Jones Croesi, in cc. 6 et 26, in c. 69 l. I, Cyri dicionis factos esse inveniamus.

22. Verba quae legimus in c. 43 l. VI: ἐνθαῦτα μέγιστον θῶυμα ἐρέω τοῖσι μὴ ἀποδεκομένοισι Ἑλλήνων Περσέων τοῖσι ἑπτὰ Ὀτάνεα γνώμην ἀποδέξασθαι, ὡς χρεὸν εἴη δημοκρατέεσθαι Πέρσας, nemo negaverit pertinere ad haec quae insunt in c. 80 l. III: ἐλέχθησαν λόγοι ἄπιστοι μὲν ἐνίοισι Ἑλλήνων, ἐλέχθησαν δ' ὦν. Ὀτάνης μὲν ἐκέλευε ἐς μέσον Πέρσῃσι καταθεῖναι τὰ πρήγματα κτλ.

23. *A. Bauerus* ut sententiam a se prolatam argumentis firmet, demonstrare studet, nonnullas res diversis locis commemoratas esse ita ut animis nobis fingendum sit, eorum locorum unumquemque aliorum ratione non habita scriptum et res illas temere ac sine causa repetitas esse. At quod pro testimonio illius rei cum alia tum haec ponit (l. a. p. 41), quae legimus in c. 180 l. II et in c. 62 l. V: Ἀμφικτυόνων δὲ μισθωσάντων τὸν ἐν Δελφοῖσι νῦν ἐόντα νηὸν τριηκοσίων ταλάντων ἐξεργάσασθαι (ὁ γὰρ πρότερον ἐὼν αὐτόθι αὐτομάτως κατεκάη), τοὺς Δελφοὺς δὴ ἐπέβαλλε τεταρτημόριον τοῦ μισθώματος παρασχεῖν κτλ., et: ἐνθαῦτα οἱ Ἀλκμεωνίδαι πᾶν ἐπὶ τοῖς Πεισιστρατίδῃσι μηχανεόμενοι παρ' Ἀμφικτυόνων τὸν νηὸν μισθοῦνται τὸν ἐν Δελφοῖσι, τὸν νῦν ἐόντα, τότε δὲ οὔκω, τοῦτον ἐξοικοδομῆσαι, nullum vero id argumentum est. Nam

si continuationem narrationis, ubi loci allati inveniuntur, diligentius examinaveris, facile intelleges, Herodotum aliud propositum habere in c. 180 l. II, aliud in c. 62 l. V: illo enim loco hoc potissimum agit, ut divitias et opes Aegyptiorum honoribus exornet, hoc merita Alcmaeonidarum laudibus celebrare studet. Uterque ergo locus contextu rerum ipso requiritur neque fieri potuit quin Herodotus Alcmaeonidas templum Delphicum restituendum conduxisse altero loco praetermitteret. Utique vero nego quidquam esse cur inde concludamus, utrumque locum alterius ratione non habita conceptum esse. Accedit quod in c. 62 l. V nihil scriptum est, templum Delphicum flammis absumptum esse; unde nos coniciamus, Herodotum hoc loco id, quippe quod iam I 50 et II 180 scriptum haberet, consulto omisisse.

24. In c. 60 l. VI cum alia tum haec scripta sunt: συμφέρονται δὲ καὶ τάδε Αἰγυπτίοισι Λακεδαιμόνιοι· οἱ κήρυκες αὐτῶν καὶ αὐληταὶ καὶ μάγειροι ἐκδέκονται τὰς πατρωίας τέχνας, καὶ αὐλητής τε αὐλητέω γίνεται καὶ μάγειρος μαγείρου καὶ κῆρυξ κήρυκος; quodsi haec verba legis, tibi ponendum est, iam supra aliquam aliam rem, quae Lacedaemoniis cum Aegyptiis conveniret, commemoratam esse, cum alioquin verba quae sunt καὶ τάδε — quamquam vocabulo καί nimiam vim tribuere nolim — non recte percipere posses; id quod invenis in cc. 80 et 167 l. II, ubi legis haec: οἱ νεώτεροι αὐτῶν (sc. Αἰγυπτίων καὶ Λακεδαιμονίων) τοῖσι πρεσβυτέροισι συντυγχάνοντες εἴκουσι τῆς ὁδοῦ καὶ ἐκτράπονται καὶ ἐπιοῦσι ἐξ ἕδρης ὑπανιστέαται, et: μεμαθήκασι (sc. ab Aegyptiis?) δ' ὦν τοῦτο (sc. milites maximi, minimi opifices aestimare) πάντες οἱ Ἕλληνες καὶ μάλιστα Λακεδαιμόνιοι. (Confer quae annotavi ad 13).

25. In c. 18 l. VII, ubi Artabanus Xerxi dicit: ἐγὼ . . . οὐκ ἔων σε τὰ πάντα τῇ ἡλικίῃ εἴκειν . . . μεμνημένος μὲν τὸν ἐπὶ Μασσαγέτας Κύρου στόλον ὡς ἔπρηξε, μεμνημένος δὲ καὶ τὸν ἐπ' Αἰθίοπας τὸν Καμβύσεω, συστρατευόμενος δὲ καὶ Δαρείῳ ἐπὶ Σκύθας, in hoc capite inquam illis verbis Persarum expeditiones contra Massagetas in cc. 205 sqq. l. I, in cc. 17 sqq. l. III contra Aethiopes, contra Scythas in libro IV descriptae tam leviter et summatim attactae sunt, ut Herodotus ipse iam supra eas uberius expositas esse sumere videatur. Rectissime igitur iudicat *H. Weilius*, cum l. a. dicit: Si je ne m'abuse, les trois derniers livres forment une partie intégrante de l'histoire de l'empire persan. Les quatre premiers chapitres du VIIe livre renferment des données chronologiques qui les rattachent à ce qui précède et en font le complément de l'histoire de Darius. Les campagnes de Cyrus contre les Massagètes, de Cambyse contre les Scythes, sont rappelées au ch. XVIII de manière à faire supposer que l'auteur les avait racontées plus haut. Nous sommes dans le courant de l'histoire des Perses. Or, cette histoire sert de charpante à tout l'ouvrage d'Hérodote. Similiter idque mea quidem sententia recte iudicat *L. Ćwikliński us* (l. a. p. 280), qui dicit: „historia expeditionis Xerxis cum toti operi Herodoti quasi cumulum afferat, non satis cogitari potest, nisi res a Persis gestae et pugnae inter Graecos et Persas commissae iam supra accuratius descriptae sunt. Quare animis nullo modo effingere nobis possumus, rebellionem Jonum et bella Persica singulas historias, quae inter se et a ceteris separatae essent, effecisse“. Namque quin Herodotus bella Persica enarraturus causam eorum, quae extrinsecus venerat,

rebellionem dico Jonum, attulerit, quis est qui dubitet? Tamen cum hoc sole ipso mihi illustrius atque clarius esse videatur, *A. Bauerus* non modo rebellionem Jonum (cf. l. a. p. 115), sed etiam res primo bello Persico gestas (cf. l. a. p. 127) posteriore tempore conscriptas esse statuit quam expeditionem Xerxis.

26. Quod in c. 74 l. VII legimus haec: Ἀρταφέρνης ὁ Ἀρταφέρνεος, ὃς ἐς Μαραθῶνα ἐσέβαλε ἅμα Δάτι, fieri nequit quin pro certo putemus, Herodotum diligentius iam supra eius rei memoriam complexum esse; neque hoc posito fallimur, cum in cc. 94—120 l. VI Persarum expeditio Datide Artapherneque ducibus contra Graeciam suscepta, in cc. 109—117 l. VI pugna apud Marathona commissa pluribus verbis describatur.

27. Verba quae sunt in c. 205 l. VII: ἀποθανόντος δὲ Κλεομένεος ἄπαιδος ἔρσενος γόνου, Δωριέος τε οὐκέτι ἐόντος, ἀλλὰ τελευτήσαντος καὶ τούτου . . . οὕτω δὴ ἐς Λεωνίδην ἀνέβαινε ἡ βασιληίη, promptum est spectare cum ad cc. 40—47 l. V, ubi Doriei fortunae vicessitudines uberius exponuntur, tum ad c. 48 l. V, ubi et eius et Cleomenis mors refertur.

28. Quod Herodotus in c. 117 l. VII dicit: ἀπὸ γὰρ πέντε πήχεων βασιληίων ἀπέλειπε (sc. Ἀρταχαίης) τέσσερας δακτύλους, inde patet, hunc locum posteriore tempore scriptum esse quam c. 178 l. I, ubi quam longum sit cubitum regium commemoratur; legimus enim hoc loco: ὁ δὲ βασιλήιος πῆχυς τοῦ μετρίου ἐστὶ μέζων τρισὶ δακτύλοισι; hoc autem si nescires, non satis intellegeres, quantum illa quinque cubita in VII 117 explerent.

29. Herodotus quod in c. 32 l. IX, quidquid virium habuerint Persae in pugna Plataeensi enume-

rans, dicit: ἐν δὲ καὶ Αἰθιόπων τε καὶ Αἰγυπτίων οἵ τε Ἑρμοτύβιες καὶ οἱ Καλασίριες καλεόμενοι μαχαιροφόροι, spectare mihi videtur hunc locum, qui est in c. 164 l. II: οἱ δὲ μάχιμοι αὐτῶν (sc. Αἰγυπτίων) καλέονται μὲν Καλασίριές τε καὶ Ἑρμοτύβιες κτλ. Locum illum *A. Bauerus* (cf. l. a. p. 44) perperam interpretatus est, cum putaret, vocem quae est καλεόμενοι pertinere ad μαχαιροφόροι.

30. Ex capite 92 l. VI et ex cc. 15 et 73 l. IX, ubi mentio incidit de Decelea, elucet, hunc locum posteriore tempore scriptum esse quam illos, h. e. postquam rerum Deceleensium cognitionem suam et intelligentiam auxit Herodotus. Nam res nisi ita sese haberet, Herodotum, ut *A. Kirchhoffius* l. a. rectissime annotavit, illud additamentum de Decelea in c. 73 l. IX leviter annexum iam in IX 15 vel VI 92 adiuncturum fuisse, exploratum habere licet. *C. Hachezio* (l. a. p. 65) non contigit, ut illud *A. Kirchhoffii* redargueret, quod dixit, caput 73 l. IX post incursionem demum Lacedaemoniorum in Atticam anno 428 (vel potius a. 430, cum a. 428 non omnes fines Attici devastarentur) factam scriptum esse posse, cum Herodoto quod Lacedaemonii unis agris Deceleae pepercissent, tam conspicuum miraculum esse videretur, ut tum demum in hunc pagum conversus res Deceleensium accuratius exquireret et exploraret; nam nisi ita res esset, nos intellecturos non esse, cur illa capitis 73 digressio non iam capiti 15, ubi item de Decelea loqueretur Herodotus, addita esset. Contra *C. Hachezius* dicit, „Herodotum non ad eadem nomina, sed ad similes res digressiones annectere solere; quid beneficium Deceleensium erga Lacedaemonios ad Mardonii per Deceleam recessum pertinere?“ At quid simili-

tudinis esse dicas beneficio a Deceleensibus in Lacedaemonios collato cum virtutis gloria, quam Sophanes Deceleensis pugna Plataeensi consecutus est? Contra si *C. Hachezius* attento animo legere perrexisset, Herodotum eiusmodi digressiones ipsis eisdem nominibus adiungere solere narratione rerum ad tempus absoluta ipso in eodem libro invenisset. Nam, ut exemplum afferam, in cc. 108—114 l. IX nomini Masistis re quadam per digressionem addita res in c. 107 instituta in c. 115 porro tractatur. Simili modo in c. 121 l. IX ad nomen Archayctis digressio, in c. 143 l. IV ad nomen Megabazi duae narratiunculae annectuntur. Aeque in c. 23 l. I nominibus Cypseli et Periandri illa de Arione prodita memoria adiungitur. Qua alia causa Herodotum his locis impulsum esse dicas, ut digressiones illas adderet, nisi quod ei illos viros nomine appellanti dicta factave eorum memoratu digna in opinionem venerunt?

31. In tribus posterioribus libris praeter locos quibus expressis verbis ad antecedentia reicimur (cf. supra p. 9), plures alii inveniuntur, quibus nos Herodotus quasi tacite ad ea quae iam supra in eisdem libris dixit revocat. Sed quoniam nemo negaverit, eos libros, quippe in quibus unum idemque argumentum, h. e. expeditio Xerxis, tractetur, alio ac qui nunc exstat ordine conscriptos esse, satis habeo notare illos locos. Pertinet igitur VII 81 ad VII 10, *VIII 67 ad VII 99, VIII 92 ad VII 179* et 181, VIII 113 ad VIII 100, *IX 64 ad VII 204, IX 71 ad VII 231, IX 78 ad VII 237, IX 98 ad initium libri VIII.*

32. Quod in c. 148 l. II legimus haec: εἰ γάρ τις τὰ ἐξ Ἑλλήνων τείχεά τε καὶ ἔργων ἀπόδεξιν συλλογίσαιτο, ἐλάσσονος πόνου τε ἂν καὶ δαπάνης φανείη ἐόντα

τοῦ λαβυρίνθου τούτου. καίτοι ἀξιόλογός γε καὶ ὁ ἐν Ἐφέσῳ ἐστὶ νηὸς καὶ ὁ ἐν Σάμῳ, facere non possumus quin pro certo habeamus, haec templa paucis attingi aliquo loco eiusdem operis seu antecedenti seu consequenti. Et nimirum res ita sese habet, cum Herodotus in c. 92 l. I mentionem faciat aurearum vaccarum et columnarum quas Croesus in templo (quod etiam I 26 commemoratur) Dianae Ephesiae posuerat, in c. 60 l. III dicat se templo Junonis Samio, quod I 70, IV 88 et 152, IX 96 simpliciter τὸ Ἡραῖον dicitur, nullum maius unquam vidisse. Quod *A. Bauerus* (l. a. p. 35 et 36) de illis locis pluribus verbis exponit, equidem assensu meo non comprobaverim, praesertim cum mihi persuasum sit, verbis, quae sunt ἐλάσσονος πόνου τε καὶ δαπάνης et καίτοι ἀξιόλογος, nequaquam tam fastidiosam quam ille vult sententiam subiciendam esse. — At hoc loco (II 148) Herodotus rem leviter perstringit, quam postea demum (III 60) pluribus verbis persequitur; eiusmodi autem locos non satis recte intellegi posse *A. Bauerus* et *C. Hachezius* dicunt, nisi si ponimus, Herodotum, cum historias suas ante separatim conscriptas retractaret et coniungeret inter se, tum demum eos addidisse. Sed tantum abesse equidem puto, ut illos locos ista tantum ratione recte percipi possint, ut dicam, quod Herodotus I 135, 140, 193, VII 80, aliis locis res leviter attingit, quae postea demum uberius explanantur, etiamsi ad locum certum non delegamur, aut quae non nisi continuatione serieque rerum in sequentibus libris latius perscriptarum requiruntur, inde item consequi, eum historias suas eodem quem nunc habemus ordine perfecisse. Cum enim locos quos dico legimus, continuo exspectamus, nos res significatas in eodem opere accuratius

doctum iri. Utique vero hac ratione illos locos facillime accipere mente possumus. Quod autem *A. Bauerus* (l. a. p. 79, 80, 85) dicit, suam sententiam si secuti simus, facile nos animis nobis fingere posse, Herodotum libros suos retractantem nonnullas res in posteriore parte operis narratas rettulisse in superiore esse sibi visum, quis credat, Herodotum sine ullo iudicio historias suas retexuisse et coniunxisse inter se nescientem, quid in prioribus, quid in posterioribus libris prodiderit?

De hac re uberius mihi disputandum esse putavi, quod inde apertissime consequitur, omnino non fingi posse, Herodotum historias suas ita ut singulae earum partes corpuscula absoluta essent conscriptas habuisse. Quid enim? cum viderimus, in unaquaque locos inesse, qui sine eis, quae iam supra aut infra dicta sunt, nullo modo explicari recte aut intellegi possint, singulos libros corpuscula inter se disiuncta effecisse arbitrabimur? Nonne putabimus, Herodotum iam inde ab initio omnes historias suas ita concepisse, ut unum in corpus redigerentur?

Non ignoro, et *A. Bauerum* (l. a. p. 173) et *Chr. Roeseum* (l. a. p. 7) et *C. Hachezium* (l. a. p. 39) statuere, si sumpseris, Herodotum historias suas antea separatim conscriptas retractasse et multis additamentis factis inter se conexisse posteriore demum tempore, quae insunt in eius libris repetitiones rerum et discrepantias facillime enucleari posse; retractasse autem vel inde patere, quod in c. 30 l. IV ipse dicat: προσθήκας γὰρ δή μοι ὁ λόγος ἐξ ἀρχῆς ἐδίζητο, quod nil nisi additamenta vel correctiones emendationesque rerum quarundam vel notas margini ascriptas valere possit (cf. *A. Bauer.* l. a. p. 141, *Chr. Roese.* l. a. p. 8, *C. Hachez.* l. a. p. 20). At mihi quidem persuasum

est, vocem quae est προσθῆκαι, quam isti volunt significationem omnino non habere posse. Nam qui tandem fieret, ut Herodótus iam inde ab initio (ἐξ ἀρχῆς), cum opus suum aggrederetur conscribere, scire potuerit, sibi nonnullos locos emendandos fore aut se postea aliquando vel alicunde accuratiorem alicuius rei gestae relationem cogniturum esse? Nimirum dubium non est, quin προσθῆκαι illae aliud sint, aliud interiectae narrationes, quae παρενθῆκαι vocantur, quibus oratio ab eo quod propositum est longius diutiusque abérrat; sunt enim illae προσθῆκαι, ut mihi quidem videtur, annotationes rerum ad cognitionem vel terrarum vel morum gentis cuiusdam pertinentium, quas Herodotus occasione oblata ad legentes hoc vel illud accuratius edocendos addere solet, cum legentium animos advertit in similitudinem, quae huic vel illi genti terraeve cum altera sit; sunt igitur observationes rerum ad aliquid supplendum additae, quae quapiam ratione ad propositam narrationem pertinent aut aptae sunt. Eiusmodi autem res ei iam materiam operis conscribendi conquirenti conspicuae fieri poterant, ita ut continuo (ἐξ ἀρχῆς) eas expressis verbis notare propositum haberet.

Praeterea si omnes locos, et quibus aut ad antecedentia aut ad sequentia delegamur, et quibus retractatis aliquid additum esse *A. Bauerus* et *C. Hachezius* statuunt, diligenter respexeris, videbis eiusmodi locos in omnibus fere partibus operis inveniri. Atqui cum ita res se habeat, si illorum sententiam sequaris, ponere debes, Herodotum historias suas antea separatas non solum retractasse atque coniunxisse inter se, sed totum opus quasi denuo rescripsisse. Hoc autem si statueris, non satis explicare possis, qui factum sit, ut Herodotus repetitiones rerum molestas et discre-

pantias quasdam, quas invenimus in libris eius, non e medio tolleret aut quae pollicitus est, non usque impleret. Facile enim intellegas, si Herodoti historiae ista quam illi volunt ratione confectae essent, Herodotum eas retexentem penitus perspicere et recognoscere debuisse, ut videret additamenta sua et locos legentes huc vel illuc delegandi causa ascriptos quo quemque loco addere deberet; unde sine dubio factum esset, ut discrepantias illas et repetitiones rerum tollendas animadversurus et re vera sublaturus fuerit. Nam sine iudicio atque consilio libros suos retractasse Herodotum, ut *A. Bauerus* (l. a. p. 38 et 106) censet, hoc quis est qui credat?

Quod Herodotus res ab Assyriis gestas, quas se enarraturum esse in cc. 106 et 184 l. I pollicitus est, non literis mandavit, sane haud scio an non liceat nobis sumere *A. Kirchhoffium* (l. a. p. 5) et *O. Nitzschium* (l. a. p. 16) secutis, Herodotum eas narrare simpliciter oblitum esse. Rectius unde factum esset, ut Herodotus quod in libro I pollicitus esset, non praestiterit mihi *K. W. Nitzschius* (l. a. p. 239) videtur interpretatus esse, qui dicit: „Si altera pars operis Herodoti ab a. 431—428/427 idque Athenis conscripta est, prorsus alia temporum ratione quam illa prior exorta est. — Extremo enim decennio, quo Pericles rempublicam Atheniensium administrabat, una res, i. e. simultas, in qua Athenienses cum Lacedaemoniis erant, omnium Graecorum animos magis magisque exercebat; quo factum est, ut Herodotus narratione alio deflexa opus suum in dies approperaret, ut rerum ab Assyriis gestarum ratione non habita expeditionem a Dareo in Scythas susceptam et rebellionem Jonum persecutus quam celerrime narrationem suam in ipsa

bella Persica dirigeret". Sed etiam haec interpretatio illorum locorum libri I mihi nimis callida et artificiosa videtur esse; contra quod illae historiae Assyriacae nullo loco operis Herodoti inveniuntur, facillime et simplicissime nobis effingere nos posse putaverim, si ponimus, eum opus suum non omnibus numeris absolutum habuisse atque imperfectum reliquisse. Idem patescet ex eo quod infra (p. 44 sqq.) uberius disputabimus de loco qui est VII 13, quo et ipso Herodotus, quod nusquam praestitit, pollicitus est.

Restat ut paucis attingam ea quae, qui Herodotum historias suas singulatim conscripsisse statuunt, attulerunt, ut sententiam suam rectam esse demonstrarent. Atque *A. Baueri* argumentorum, quae plurima in perversa Herodoti interpretatione posita aut nimis arguta contortaque sunt, iam *H. Weilius* (l. a.) et *L. Ćwiklińskius* (l. a. p. 282 sqq.) permulta doctissime refutaverunt, nonnulla etiam eis quae supra disseruimus diluta esse puto. Praeterea loci quos, ut aliquam partem operis Herodoti ante aliam compositam esse probaret, usurpavit *A. Bauerus*, plerique eiusmodi sunt, ut non minus recte ipsam in contrariam partem concludere liceat; tales autem locos ad propositam coniecturam, quae aliis argumentis probari non potest, demonstrandam adhibere abhorret a recta disserendi via et ratione. Jam vero quod molestae discrepantiae atque iterationes rerum in Herodoti libris insunt, inde omnino non consequitur, eius historias antea singulos libellos fuisse, quamquam, ut iam supra dixi, *C. Hachezius* et *A. Bauerus* et *Chr. Roeseus* hoc posito illam scribentis socordiam facillime intellegi posse putant. Nam quod nonnullae res parum diligenter et accurate scriptae sunt, simplicissimam, ut

mihi quidem videtur, habet explicationem, si *A. Kirchhoffio* auctore sumimus, Herodotum historias suas intercapedine scribendi facta perfecisse, non si fingimus eum historias suas antea separatas retractasse atque inter se conexisse, praesertim cum dubium non sit, quin hac in re maiore diligentia et cura usurus fuerit. Accedit quod *K. W. Nitzschius* (l. a.) doctissime et rectissime exposuit et demonstravit, Herodotum materiam ad opus scribendum colligentem minus monumenta rerum gestarum literis mandata, quam narrationes ore propagatas secutum esse, ex quibus τὸν ἐόντα λόγον (I 95) idque ex animi sui sententia eligebat, h. e. eam narrationem quae imagini omnis rerum humanarum naturae, quam mente et cogitatione ipse amplexus erat pietatis deorum, ad quorum iudicium arbitriumque summa omnium rerum rediret, sensu et pudore atque verecundia ductus, maxime responderet [1]). Atque hae narrationes quae in ore vel populi vel gentis vel urbis vel familiae alicuius ferebantur, tam certam tamque definitam habebant speciem, ut Herodotus quidem mihi crede eam mutare non auderet, sive narrationes illae ei probabiles viderentur sive non, sive consentirent inter se sive repugnarent. Hoc ipse quoque significat cum dicit: ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑποκέεται ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ' ἑκάστων ἀκοῇ γράφω (II 123), et: ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὴν οὐ παντάπασι ὀφείλω· καί μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέτω ἐς πάντα τὸν λόγον (VII 152). Ut exemplum afferam, *K. W. Nitzschius* (l. a. p. 239) cum alia tum haec doctissime exprompsit, in posterioribus

[1]) conferri possunt ea quae disseruerunt *N. Wecklein* l. a. p. 7, et *Ambrosius Mayr*, Herodot, e. literaturgesch. Studie, Komatan, Saaz u. Kaaden, 1877.

tribus libris Herodoti partes quasdam a recitationibus rerum gestarum, quae in syssitiis Lacedaemoniorum habebantur, repetitas esse. Quodsi sumpseris Herodotum has narrationes undecunque acceptas nulla re mutata idque intercapedine scribendi facta conscripsisse, facile intelleges, et eum leves quasdam discrepantias et iterationes rerum inesse in libris suis fugisse et partes quasdam operis eius ipsas per se corpuscula videri esse. At inde nequaquam consequitur Herodotum eas quasi separatim composuisse, quoniam non ita expletae sunt omnibus suis numeris, ut ipsae per se recte percipi possint, et quoniam repetitiones rerum illae et discrepantiae minorem probandi vim habent quam ut quidquam ex eis astricte possit concludi. Rectissime igitur dicit *H. Weilius* l. a. contra *A. Bauerum*: Sans doute, il y a des autres répétitiones plus réelles (sc. quam quae sunt repetitiones VII 205, VIII 33, aliis locis); mais elles sont trop petites, trop insignifiantes pour autoriser aucune induction. Tout écrivain en laisse échapper de pareilles.

Atque argumenta, quae *Chr. Roeseus* l. a. attulit, ut demonstraret Herodotum extremo vitae suae tempore — quamquam enim argumentationem qua *A. Bauerus* historias Herodoti singulatim conscriptas fuisse docere studet, assensu suo comprobat ille quidem, tamen dissentit ab eo de tempore, quo Herodotus libros suos retractaverit et inter se coniunxerit — ipse iam eis quae alio loco [1]) disserui, refutasse mihi videor. Contra *O. Nitzschium* autem mihi nonnulla dicenda sunt, quod *A. Bauerus* quoque argumenta ab eo allata comprobat (cf. l. a. p. 7, 99, 107). Atque

---

[1]) Blätter f. d. bair. Gymn.-Wesen, 15. Bd. 8. H., p. 370 sqq.

primum quidem mihi perperam iudicare videtur *O. Nitzschius*, cum (l. a. p. 4) dicit, Herodotum historias suas principio ea sententia conscripsisse, ut eas recitaret. Contra mihi *A. Schoellius* veram Herodoti operis notionem mente concepisse videtur, qui quidem (l. a. p. 419) dicat, quin Herodotus historias suas ea mente composuerit, ut legerentur, non ut audirentur dubium non esse. Atque hoc facile cognosi potest ex eo, quod fere omnibus locis quibus de perficiendo opere suo dicit, verbo scribendi, non dicendi vel recitandi utitur Herodotus; confer modo quaeso locos qui sunt in I 95 (ὡς... λέγουσι, κατὰ ταῦτα γράφω), II 123 (τὰ λεγόμενα γράφω, et: τὰ οὐνόματα γράφω), IV 195 (τὰ δὲ λέγεται γράφω), VI 53 (τάδε κατὰ τὰ λεγόμενα γράφω), VII 214 (τοῦτον αἴτιον γράφω). Neque minus falsa mihi quidem videntur ea argumenta, quibus Herodotum locos quosdam retractasse atque immutasse docere studet *O. Nitzschius*, quamquam id *A. Bauerus* quoque (cf. l. a. p. 98, 99, 107) cum eo consentit. Namque profectus ab eis loquendi formulis, quibus Herodotus legentes ad supra iam dicta revocat, censet ubicunque formulae loquendi quae sunt ὡς καὶ πρότερόν μοι εἴρηται, δεδήλωται, vel ὡς καὶ πρότερον εἶπον, aliae, paucis rebus interiectis quasi continuo subsequantur locum ad quem delegemur, inde perspicuum fieri, Herodotum opus suum denuo pertractasse aliqua re sive ex priore continuatione rerum sublata sive addita. Quod ut demonstret, orsus a cc. 17 et 18 l. I, quibus narratur bellum a Sadyatte et Halyatte, Lydorum regibus, contra Milesios gestum, dicit totum hunc locum tam confusum tamque perplexum esse, ut cum ex omnibus aliis rebus tum ex loquendi formula, quae continuo (c. 18) reminiscendi causa addita sit, eluceat, Herodotum hoc

loco aliquid ex priore rerum et verborum contextu sustulisse, res bello contra Medos gestas dicit, quae nunc cc. 73 et 74 eiusdem libri describuntur. Neque tamen hic locus etsi non satis plane scriptus est, tam confusus mihi videtur, ut illam coniecturam facere liceat. Ad verba enim quae sunt: ταῦτα ποιέων ἐπολέμεε ἔτεα ἕνδεκα, quae quidem *O. Nitzschio* omnino non aperta videntur ad intellegendum, subiectum quod in comprehensione verborum continuo antecedenti legitur, ὁ Λυδός dico, supplendum est, quae vox et patrem Sadyatten et Halyatten filium complectitur, ut totus locus mihi quidem satis planus et perspicuus esse videatur. Insuper quaeterquam quod non video, qua re commotus Herodotus bellum contra Medos gestum prius cc. 17 sqq. narratum postea e medio sustulerit atque alium in locum transposuerit, *O. Nitzschius* etiam haec verba quibus caput 17 exorditur: ἐπολέμησε (sc. Ἀλυάττης) Μιλησίοισι παραδεξάμενος τὸν πόλεμον παρὰ τοῦ πατρός κτλ., removere aut in marginem delegare debebat, quoniam vix comprehendere mente possumus, Herodotnm narrationem belli quod Halyattes a patre quasi hereditate acceperat, aliqua alia re interiecta interrupisse, vel ut idem aliis verbis dicam, exordium belli contra Miletum gesti a narratione eius ipsa descripto bello contra Medos separasse; neque tamen delet illa verba *O. Nitzschius*. *A. Bauerus* (l. a. p. 105) quidem censet, in verbis, quae sunt οὗτος γὰρ καὶ ὁ τὸν πόλεμον ἦν συνάψας, inesse supervacaneam repetitionem eiusdem rei, sed equidem abitrari malim, id esse simplex et purum epicorum dicendi genus, quale Herodotum maxime decet. Quod autem iam a. c. 18 expressis verbis ad aliquid revocamur, quod paulo supra, h. e. in c. 17, dicitur, inde omnino non conse-

quitur, hunc locum aut alios quosdam, quos *O. Nitzschius* aliqua re seu sublata seu interiecta mutato ordine dispositos vult, immutandos esse. Cum enim verbis quae sunt ὡς καὶ πρότερον εἶπον, ὡς καὶ πρότερόν μοι δεδήλωται, alia, a I 18 ad I 17, a II 14 ad II 11, a II 50 ad II 43, a III 106 ad III 98, a IV 79 ad IV 78, a c. 35 l. V ad idem cap., a VII 113 ad VII 107, a VII 115 ad VII 110, a VII 217 ad VII 212, a VIII 87 ad VIII 79—81, a VIII 93 ad VIII 87, undecim igitur locis illis verbis ad aliquid paulo supra dictum revocemur, cum omnino triginta fere loci inveniantur quibus Herodotus legentes diserte ad antecedentia remittit, nobis prorsus negandum est, ab Herodoti genere scribendi abhorrere, quod loci a quibus et ad quos reiciuntur legentes continuo se excipiunt, praesertim cum Herodotus ipse in c. 106 l. III et in c. 113 l. VII ὀλίγῳ, in c. 79 l. IV et in c. 87 l. VIII ὀλίγον τι verba sua accuratius determinandi causa addat. Atqui quoniam Herodoti formulae illae quidem loquendi nullam maiorem vim videntur habere quam ut exemplum afferam, illud Latinorum: ut supra diximus, quibus verbis hi quidem ad supra iam dicta delegant legentes, illis ex locis omnino non concludendum esse mihi quidem videtur, Herodoti libros aliquando ullum alium quam nunc habent habitum contextus rerum ac verborum habuisse, h. e. Herodotum eos retractasse.

A. Schoellius[1]) demonstrare studuit, ipsos extremos Herodoti libros primos scriptos atque Athenis anno fere 445 recitatos esse, quod iam *O. Nitzschius* (l.

[1]) Ueber Herodots Lebenszeit, Philol. IX, p. 203, 206 sqq.; Hs. Entw. z. s. Beruf, ibid. X, p. 29; Hs. Vorlesungen, ibid. X, p. 427.

a. p. 4, ann. 1) paucis refutavit. Equidem eis quae hic contra illum dixit, addam haec: Herodotum libros suos recitasse, auctores sunt Plutarchus (ab a. 50 usque ad a. 130 p. Chr. n.), qui in libro qui de malignitate Herodoti inscribitur dicit, eum Anyto quodam rogante decem talentis donatum esse, Eusebius (ab a. 261 –340 p. Chr. n.) qui ad ol. 83, 3 annotat haec: Erodotus Athenis libros legens honoratus est, Hieronymus (ab a. 331 — 420 p. Chr. n.) qui ad ol. 83, 4 hanc notam apponit: Herodotus cum Athenis libros suos in concilio legisset honoratus est, Syncellus (ante a. 800 p. Chr. n.) qui dicit: Ἡρόδοτος ἱστορικὸς ἐτιμήθη παρὰ τῆς Ἀθηναίων βουλῆς ἐπαναγνοὺς αὐτοῖς τὰς βίβλους (ol. 83, 4). Cum illud Plutarchi, Herodotum donatum esse ab Atheniensibus decem talentis atque etiam Olympiae libros suos recitasse, omnem fidem excedat, unum testem illius rei habemus Eusebium, quoniam dubium non est quin Hieronymus et Syncellus, quod de ea re produnt, ex eius libello repetierint. Cum autem Eusebius tot annis post aetatem Herodoti floruerit, quam facile evenire potuit ut illa re memoria tantum prodita tanto temporum spatio vera cum fictis confunderentur? Ergo si quid ex illis Eusebi verbis concludi potest, hoc summum concludere licet, Herodotum aliquando aliquid Athenis publice recitasse; sed quid vel quo anno recitaverit accurate definire vanum inceptum ducam. Extremos autem libros quos nos habemus eum recitasse anno 445 eo magis negaverim, quo magis dubito num re vera eo iam tempore quo plurimi statuunt opus suum perficere accesserit. Idcirco ut aliquid anno 445 legerit Herodotus publice, legit, ut mihi quidem videtur, materiae suae ad opus scribendum collectae capita

quaedam quibus audientes delectaturos esse sciebat [1]). — Nuperrime *A. Bauerus* l. a. et ipse idem quod *A. Schoellius* idque nimirum frustra argumentis probare studuit atque simul asseveravit (l. a. p. 142), hos extremos libros, utpote diligentius conscriptos, leviter tantum posteriore tempore ab Herodoto retractatos esse. Sed si Herodotum re vera hos libros primos conscriptos habuisse *A. Bauero* concedas, tibi prorsus dicendum est, eos non solum non leviter retractatos, sed potius quasi denuo rescriptos esse, cum loci, quos aliqua re addita submutatos esse *A. Bauerus* ipse statuit, plurimi sint atque in omni fere parte horum librorum inveniantur. Iam vero affirmavit *A. Bauerus* (l. a. p. 130) et argumentis firmare studuit, Herodotum multis locis horum librorum maiorem nonnullarum rerum inscitiam prodere quam in prioribus atque statuit, ubicunque res bello Peloponnesiaco gestae designarentur, omnes hos locos putandos esse notas posteriore tempore margini leviter ascriptas. At quod in posterioribus libris Herodotum in inscitia quadam multarum rerum deprehendi *A. Bauerus* dicit, hanc eius sententiam a vero abhorrere iam *L. Ćwiklińskius* et *H. Weilius* exposuerunt; quod autem ad notas illas quas dicit *A. Bauerus* margini ascriptas attinet, huius opinionis levitas non desiderat orationem meam iam confutata a *C. Hachezio* (l. a. p. 70 sqq.); hic enim demonstrat, locos quos posteriore tempore additos esse *A. Bauerus* censet, contextu rerum ac verborum prorsus desiderari atque omnino non licere demi. Cum ad haec unum attulero, quae cetera *A. Bauerus* de hac re disseruit omittam. In p. 148 l. a. dicit ille quidem

---

1) Habeo in animo de hac re alio loco uberius disputare.

— et *Chr. Roeseus* (l. a. p. 18) ad eius sententiam accedit — hunc locum quem legimus in c. 73 l. IX: ἀτέλειά τε καὶ προεδρίη (sc. Δεκελέων) διατελέει ἐς τόδε ἀεὶ ἔτι ἐοῦσα, nunquam nisi ante bellum Peloponnesiacum exortum scriptum esse posse, cum immunitas illa omnium rerum, quam Deceleenses Spartae versantes habebant, bello saeviente vix ad effectum adducta sit. At cum illud Lacedaemoniorum decretum aliquando abolitum esse omnino nusquam legamus, nobis dicendum est, illud Deceleensium beneficium etiam bello exorto permansisse et ratum fuisse, quamquam neminem Deceleensium in illo tempore iure sibi concesso usum esse exploratum habere licet. Manifestum est haec verba quae illa in extremo capite 73 l. IX continuo excipiunt: οὕτω ὥστε καὶ ἐς τὸν πόλεμον τὸν ὕστερον πολλοῖσι ἔτεσι τούτων γενόμενον Ἀθηναίοισί τε καὶ Πελοποννησίοισι . . . Δεκελέης ἀπέχεσθαι nunquam nisi bello Peloponnesiaco exorto scripta esse posse; si igitur *A. Baueri* sententiam sequaris, ponere debes, Herodotum haec verba retractantem libros suos addidisse. At qui factum esse dicas, ut Herodotus illud, quod a vero abhorere *A. Bauerus* censet quoad pertineat ad bellum Peloponnesiacum, tollendum esse non animadverterit, hoc continuo annotaverit? — Attamen remotis his omnibus inde quod Herodotus inprimis in cc. 153—170 l. VII res Italicas et Sicilienses penitus cognitas habet, aperte elucet, eum hos locos tum demum, cum ipse in Italia inferiore et Sicilia fuerat, id quod post annum 443 factum esse inter omnes fere constat, non eo iam tempore quo cum alii tum *A. Bauerus* hanc partem historiarum eius compositam esse volunt, scripsisse nobis concedendum esse, praesertim cum multas res hoc loco narratas ab Italicis tantum auc-

toribus vel Siculis excepisse eum facile intellegas. Ubi enim terrarum nisi in Sicilia ipsa vel Syracusis res a Gelone gestas accuratius comperisse Herodotum arbitremur, quarum memoriam perdiligenter complectitur in cc. 153—168 l. VII? Quodsi *A. Bauerus* (l. a. p. 148) hanc partem iam priori contextui rerum ac verborum additam esse iudicat, suo sibi argumento confutatur, cum viderimus, Herodotum istas Italicas ac Sicilienses res non illo iam tempore, quo, posteriores eius libros compositos esse censet ille quidem, scire potuisse. Ut his unum aliud argumentum addam, equidem dixerim verisimillimum esse, Herodotum Phayllum Crotoniaten ter olympionicen fuisse (VIII 47) in ipsa Crotone audivisse. Sed haec quidem hactenus; nam vix unum firmum argumentum afferri potest quo demonstretur ac doceatur, Herodotum posteriores libros primos conscripsisse, contra multa eaque gravia, e quibus aperte pateat, Herodoti libros eodem quem nunc invenimus ordine compositos esse.

O. Nitzschius (l. a. p. 11 sqq.) et *A. Bauerus* (l. a. p. 144) negant, *A. Kichhoffium* recte iudicare, cum Herodotum opus suum imperfectum reliquisse dicat, imo etiam demonstrare student, Herodotum operi suo et imponere voluisse et re vera imposuisse hunc ipsum finem, qui nunc legitur in c. 121 l. IX, ubi expugnatio Sesti describitur; id ipsum firmissimum esse argumentum quo probari possit, Herodotum historias suas ab initio ita conceptas habuisse, ut separatae inter se fuerint; expeditionis enim a Xerxe in Graeciam susceptae historiam ipsam per se corpusculum omnibus numeris absolutum esse, cui Sesti expugnatione descripta suus finis fiat. Sed hanc illorum sententiam in errore esse, ex eis quae continuo disseram apparebit.

Herodotum anno fere 428 mortem obiisse Athenis verisimillimum est idque ni fallor pestilentia; hoc fere anno eum vita decessisse ut dicam adducor ea re, quod in eius libris nullius rei posteriore anno gestae mentio fit; violenta autem et repentina morte, h. e. pestilentia, eum correptum esse, inde patet, quod contextus narrationis rerum gestarum quasi vi, ut ita dicam, ante finem legitimum velut praecisus est; id quod non fieri potuit, nisi impeditus fuisset Herodotus idque praematura morte, quominus opus suum ita perficeret, ut rebus a principio institutis et dispositis accommodaret itaque quod in c. 213 l. VII pollicitus erat impleret. Atque tantum abest ut Herodotus operi suo finem quem spectabat attulerit, ut ne ad retractandum quidem id, ut discrepantias illas et iterationes rerum molestas tolleret, satis otii ac temporis habuerit; quod quin tum demum suscipere potuerit, dubium non est, cum totum opus suum, omnes partes historiarum, quas scribere sibi proposuerat, perfectas habebat. Et hoc ipsum mihi gravissimum argumentum videtur esse quo refellatur sententia eorum, qui dicunt, Herodotum historias suas retractasse. Quis enim est qui putet, Herodotum, priusquam omnes historiarum suarum partes, quas spectabat, res ab Assyriis gestas dico et quod se postea enarraturum esse pollicetur in c. 213 l. VII, conscriptas haberet, libros suos recognoscere et retexere coepisse? *O. Nitzschius* quidem censet, Herodotum iam inde ab initio hoc sibi propositum habuisse, rebus belli a Persis Graeciae illati, quod omnes Graeci defenderint, memoriae proditis opus suum concludere; praesertim cum hoc ipsum bellum, cui Sesto capta finis fiat, vocibus quae sunt τὰ Μηδικά vel Μηδικὸς πόλεμος significari soleat;

Herodotum igitur narratiuncula illa in c. 122 l. IX addita ad rem in prooemio propositam reversum opus suum aptissime finire potuisse. Utique verum est, et Herodotum ipsum (IX 64) et Diodorum (11, 37, 6) atque Thucydidem (velut I 97) illas voces inprimis expeditionem Xerxis intellegere. At res bello a Persis Graeciae illato gestas persecutus Herodotus, quod in prooemio pollicitus est, nequaquam iam persolvit; neque enim promisit, se enarraturum esse bellum quod omnes Graeci contra Xerxen, sed bella quae Graeci contra barbaros gessissent; etiamsi igitur Lacedaemonii posteriore tempore arma posuerunt bellumque contra Persas omiserunt, inde minime sequitur, Herodotum re vera expugnatione Sesti descripta opus suum finire voluisse, cum Sesto capta bellum barbarorum et Graecorum omnino non extinctum esset. Quod autem *O. Nitzschius* dicit, bello Persis illato non omnium Graecorum rem actam esse, Athenienses quidem fortissime omnium Graecorum causam defenderunt. Itaque si Herodoti libros perlegeris, permulta erunt quae amplius prorsus desideres. Jam vero multum habet suspecti, si sine ulla dubitatione dicas, Herodotum quod in c. 213 l. VII pollicitus est dumtaxat oblitum esse. Potius hoc quoque loco idem quod supra (p. 13 et 35) de rebus Assyriis diximus, nobis dicendum est, Herodotum hoc caput scribentem libris suis addere quaedam sibi propositum habuisse, quae tamen nondum conscripta habebat. *A. Bauerus* (l. a. p. 144) quidem iudicat, Herodotum eis quae retractans opus suum in c. 214 l. VII addiderit, quod in c. 213 eiusdem libri pollicitus sit, praestitisse; sed timeo ne cui hoc persuadeat. Nam si ea ratione qua volunt *A. Bauerus* et *O. Nitzschius* Herodoti libros exortos esse animo tibi

fingas, utique exspectes necesse est, Herodotum retexentem hunc locum, quo ad id quod nullo loco inveniamus operis delegamur, potius sublaturum quam additurum, id quod isti volunt, fuisse, quoniam eiusmodi additamento facto quod polliciti sumus potius praestamus quam pollicemur aliquid. Porro *A. Bauerus* [1]) demonstrare studet, Herodotum gloriam reipublicae Atheniensium, ut eius conditio post bella Persica erat, novam dico rempublicam popularem, celebrare omnino noluisse; speciem enim rerum bellis Persicis praeclarissime gestarum altius in animo eis insedisse quam ut eius quidquam interesset eas quoque res describere, quas Graeci Atheniensibus auctoribus et ducibus posteriore tempore gesserint; consulto igitur operi suo eum ipsum finem, quem nunc inveniamus, imposuisse illum. At hoc si ita se haberet, cur non ea quae Graeci insequentibus continuo decenniis duobus in bello contra Persas perseverantes animis magnis et excelsis Cimone duce annitebantur, assensu suo comprobaret? Hoc enim eo magis suspicari licet, quod ex cap. 131 l. VI intellegimus, eum ipsum Periclem, Cimonis adversarium, qui posteriore tempore rempublicam Atheniensium administrabat, ex animo vereque admirari. Tantum igitur abest, ut Herodotus nil nisi res praeclare gestas bellis Persicis admiratus sit, ut prorsus Atheniensium rebus faverit, qui quidem non solum defendentes Persas, sed etiam ultro inferentes eis bellum omnium Graecorum rem egerint [2]). Putaverim ergo, ne has quidem rationes contra *A. Kirchhoffium*

---

[1]) Herodots Biographie. Sitz. Ber. d. phil. hist. Cl. d. k. k. Ac. d. Wiss. in Wien, Bd. LXXXIX p. 391.

[2]) cf. *R. Nieberding*, Sophocles u. Herodot, Neustadt o/S. 1875, p. 6.

dictas, qui rectissime Herodoti opus imperfectum nos habere iudicat, idoneas iustasque esse; contra ex eo quod eius historiae non ad finem propositum adductae sunt, apertissime apparere, eas iam ab initio eodem qui nunc exstat ordine exaratas esse.

Ut breviter complectar paucisque repetam quae demonstrata velim, haec sunt: Herodotus cum libros suos quos nunc habemus conscribere aggrederetur, omnia itinera sua iam confecerat; manifestum enim est, eum bella a Persis gesta aut alia plane dilucideque non potuisse enarrare nisi addita descriptione illarum regionum et locorum, ubi res proditae gestae sunt. Quae itineribus perdiligenter investigando et explorando comperta habebat, iam primis lineis leviter sibi designaverat neque tamen ita, ut haec summaria, quae dicere velim, corpuscula omnibus numeris absoluta efficerent. Nam ita videntur conscripta fuisse, ut postea in unius operis corpus redigi possent, iam inde ab initio. Nihil est quod dubitemus quin Herodotus libros suos eodem quem nunc habemus ordine conscripserit. Herodotus quoniam propositum suum non tenuerat neque opus suum iam perfectum habebat, non potuit accedere retractare libros suos ut discrepantias quasdam et iterationes rerum molestas tolleret simulque locos, quibus quae nusquam praestitit pollicitus est, deleret aut quae pollicitus est impleret; unde hoc quoque factum est, ut non omnes historiarum eius partes pari modo omnibus numeris perfectae absolutaeque sint, sed nonnulla quasi abrupta argumenta ad librum scribendum demum comparata esse videantur.